Copyright: Admont, Benediktinerstift

quinto anno idem secundo neronis. eo tempore quo festus procurator iudee successit felici rome vinctus mittitur. et biennio in libera manens custodia adversus iudeos de adventu christi cottidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione necdum neronis imperio roborato nec in tanta erumpente scelera quanta de eo narrant hystorie. paulum a nerone toleratum. ut evangelium christi in occidentis quoque partibus predicaret. sicut ipse scripsit in secunda ad tymotheum. eo tempore quo et passus est de vinculis dictat epistolam. In prima mea satisfactione nemo mihi affuit. sed omnes me dereliquerunt non eis imputetur. dominus mihi affuit et confortavit me. ut per me predicatio compleatur et audirent gentes. et liberatus sum ex ore leonis. manifestissime leonem propter crudelitatem neronem significans. Et in sequentibus. Liberavit me a de ore leonis. et statim liberavit me dominus ab omni opere malo et salvabit in regnum suum celeste. quod scilicet presens se sentiret imminere martyrium. nam in eadem epistola premiserat. Ego enim iam immolor et tempus mee resolutionis instat. Hic ergo quarto decimo neronis anno eodem die quo petrus rome pro christo capite truncatus sepultusque est in via ostiensi. anno post passionem domini tricesimo septimo. Scripsit autem novem ad vii. ecclesiasticas epistolas. Ad romanos unam. ad corinthios duas. ad galathas unam. ad effesios .i. ad philipenses .i. ad colosenses .i. ad thesalonicenses duas. Preterea ad discipulos ad ty